

N. II.
ACTA
ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ
Calendis Februarii, Anno MDC LXXXII,*

MUSEUM REGALIS SOCIETATIS.
Londini A. 1681.

Prostat Lipsiæ apud J. Grossium & C. F. F. Hæredes,

Recensuimus Calendis Januarii pag. 1. sqq. Naturalia quadam ex animali & vegetabili Regno, Museo hoc recondita. Super sunt quæ ad Minerale Regnum spectant, nec non Artificialia: quæ nunc promissi memores subijcimus.

MINERALE ergo quod attinet Regnum, se offerunt primo petrefacta, quæ inter pag. 255. *Ichthyites* in modum typi: hoc est lapis, cujus plano figura piscis non est impressa, sed cavitas lapidis interior in figuram ac typum piscis exacte est formata, adeoque quasi matricem aut formam exhibet, cui alia corpora, pro induenda piscis figura imprimenda sint. Sequuntur plures entochitarum, item Coralliorum species ac varietates; speciatim *Corallium rubrum*, cujus radix supra truncum corallii albi expansa p. 275. *Rupes Adamantum*, ex qua in forma crystallorum sexangulari excrefcunt. p. 281. *Lapis viridis, Smaragdi species*, quæ intensius calefacta, in tenebris, ad tempus notabile, scilicet per $\frac{1}{8}$ horæ partem luceat: ita quidem, ut color ejus viridis, (secundum ea, quæ observavit autor) admotto igne incalescentis, in intensissime cæruleum mutetur, quem pariter retineat, quamdiu splendet, redeunte postmodum nativa viriditate p. 287. *qui lapis, si non idem est cum Phosphoro Smaragdino Elsholzii, in observat, de 4. Phosphoris, n. iii. sane haud multum ab eo discrepare videtur.* De *Turcoide* etiam refert Autor, speciem eum videri æruginis, suo modo petrefactæ: id quod præter colorem & sapor ejusdem cal-

E.

cinati

cinati confirmet: unde min⁹ mirū videri possit, lapidem hunc tandē, præsertim aeri diutius expositū, coloris elegantia perdere, quæ possit restitui per Oleum vitrioli, quod absumat fatiscentem & deflorescentē ejus superficiem. p. 294. quod posterius tamen experientia scrutinio alteriori committendum, cum alias haud facile sit, colorem Turcoidis deperditum restituere. Prout vero Autor hoc loco Turcoidis alterationem considerat, ita sub lapidum & similibus fossilium recensione ubivis tere observat, quomodo acidorum respectu se gerant, ac cum iisdem, & cum quibus effervescent. Quæ inserviunt illustrando similis argumenti Autoris scripto, *of the Luëlation, arising from the mixture of hodies*: hoc est, de lucta e mixtura corporum oriunda, quod ipsum jam Gallico Idiome Parisiis Ao. 79. prodiit, sub Tit. Experiences sur le combat, qui arrive du melange du diverses liqueurs, avec toutes sortes des corps. Recenset porro *Crystallum Telcosam seu Crystallum Islandicam* Bartholini, p. 309. Refractiones singulares hujus lapidis, structuræ tribuit inæquali, ideo, quod is non frustum unicū: saltem, aut absolute continuum, sed compositus sit ex distinctis laminis seu bracteis, diversimode contiguis, adeo ut in quibusdam locis distinctæ istæ laminæ, saltem unam refractionem, in aliis duas, vel plures efficiant. p. 310. Prostat hinc *Magnes* ponderis 60 librarum, haud quidem ingens adeo pondus elevans, acum tamen novem pedes distantem movens. Partes quædam ipsius diffractæ, in proprium locum denuo repositæ, multum ejus robori addiderunt, p. 317. Mutabile sc. magnetis robur est, adeo ut successu temporis multum de sua vi tractoria, & quæ inde pendet, appensorum ferramentorum suspensoria amittat. Pro avertendo tamen hoc defectu, quin & pro eodem jam facto forte, corrigendo, facit actionis ejus continuitas, simili fere ratione, atq; in moralibus exercitium virtutum generosiores eas reddit, & animales motiones per crebriore usum fortiores evadere solent; id quod curiosa ab Autore recensita confirmat observatio magnetis cujusdam armati. Sedecuplum is proprii sui ponderis initio attollebat, sed per aliquot annos sepositus, quartam roboris partem amiserat; cujus restituendi causa, tantum eidem rursus, quantum sustinere poterat, ponderis ferrei fuit appensum, & ita aliquandiu relictus: hinc ab aliquot septimanis denuo plus ponderis appensi ferre posse observatus fuit: quod ubi pedetentim, addito novi
semper

semper ponderis augmento, repeteretur per biennium, lapis iste non solum pristinum robur recuperavit, sed vigoris etiam sui incrementum cepit tantum, ut vigecuplum proprii ponderis attolleret. p. 318. *Ingens minerarum luna varietas*, p. 323. *cum vix ullum metallum, tanta minere seu matricis varietate ludat, ac Luna: sicut Cupri minera, pra aliis elegantissimorum colorum mixtura conspicua esse solet.* Item praeter lunam capillaceam, etiam *Cupri capillaris*: p. 326. it. *capillaceum & granulatum Cuprum* simul, nativum in uno frusto. c. l. *Minera aliquot Jovis*: qua occasione mentionem Autor injicit mixturae, contra morsum canis rabidi, ex mithridatio & stanno, plurimi a Venatoribus quibusdam aestimatae. p. 329. *Plumbum crystallinum*, hoc est in apices hexagonos finiens, ex minera. p. 329. *Ferri minera*, ex qua metallum, plurimum longarum & rotundarum stiriarum formam, majorumque acicularum crassitiem induens exurgit. p. 330. *Duo ossa pedis humani in ferrum mutata*: item *frustum siriæ lapideæ* (Germ. *Tropffstein*) ferrificatum. p. 332. *Frustulum naturalis salis Ammoniaci*, per subterraneos calores, in lithantra cum fodina prope Civitatem Angliæ Nevv Castle, sublimati, pag. 339. Idem Sal in forma Coni sacharini ex sua matrice, prout ex terra dicti loci fuit eruta, arte sublimatum: uti & spiritus vol. ex eodem Sale cum calce viva addita destillatus. p. 353. *Sal quoddam singulare* (seu anomalon) ex montanis Teneriffæ desumptum, ad alcalifatorum naturam accedens. p. 339. *Frustum succini* $\frac{1}{2}$ pedis longitudine, fossile, seu fodiendo repertum sub propugnaculis Rensburgensibus in Holstia, pedes 18 sub terra, loco 25. milliaria (intellige Anglicana) a Baltico pariter & Germanico Oceano distante, p. 343. *Frustum succini flavi*, cum cicada inclasa: p. 334. Ut & alia, cum culice, muscis & similibus infectis reconditis. c. l. *Sulphur nativum* crystallizatum Peravianū semi perspicuum. p. 345. *Terra*, quæ pluviae ad instar copiosa ex aere decidit in Archipelago, sub incendio Vesuvii a. 1631. eaque duplex, grysea una, altera bolaris, similis jalapæ pulverisatæ: p. 346. hinc & alia *terra pluvialis*, ex Tenariffa, pallidi argillacei coloris & insipida. Hæc cum Oleo vitrioli mox effervescit, illæ minime.

Naturalibus succedunt ARTIFICIALIA. I. *Chymica: ut Oleum Nicotianæ* seu tabaci per descensum: hujus una, vel duæ guttæ linguæ felis impositæ, immediate horridas convulsiones excitarunt, &

I. minuti horæ spatio eam enecarunt: de eodem oleo aliquoties autor Parenti suo, Tabaci fumo assueto, aliquantulum contra odontalgiam exhibuit, dentibus applicandum, felici plane cum successu: ipse vero autor tabaci fumo minime assuetus, eodem modo aliquando idem oleum cum usurpasset, tametsi nihil sputi salivarii deglutiverat, nihilominus summe debilis redditus fuit, cum superveniente vomitu p. 352. Oleum per Alembicum destillatum, *ex rad. arboris Cinnamonis*, contusa & in aqua macerata, simillimum camphoræ, p. 352. *Oleum macis* recens expressum, liquidum, colorem referens Tincturæ croci, & odoratissimum: id quod confirmat assertum Linschotti, colorem originale macis esse scarlatinum. *Salia fixa* plurimum simplicium Vegetabilium, de quibus autor asserit, quod rite tractata, eadem ex diversis subjectis, multum inter se differant, tam acrimonia, quam modis aliis, etiamsi æqualiter sint calcinata: adeo ut usus eorum promiscuus, in Medicina minus tutus sit: cum, exempli gratia, Sal Tartari scrup. ꝑ. tam potens sit, ac scrup. i. Sal. absinthii. p. 353. *Phosphorus Hermeticus solidus*, qui luci vel Solis vel ignis expositus, in tenebris aliquandiu lucere solet. Autor hujus primus recte dicitur *Baldwinus*, nunc defunctus, qui tamen nec modum, nec ingreditentia ullibi manifestavit. Eundem *Dr. Fr. Slare*, Anglus, An. 1679. felici successu & præparavit, & Societati Regiæ exhibuit. Cretam scilicet calcinatam solvit in s. q. spiritus nitri, solutionem filtratam evaporat ad Salis consistentiam: hoc in testa sub tegula fornicata calcinat, non absque ebullitionis impetu successive, observando ubique debitas enchirises, (prolixius ab autore recensitas) restitante tandem, omnia ubi refrikerint, in testa capite mortuo flavescens coloris, qui quousque conficitur, eousque etiam vis luminosa se extendit: custodienda massa hæc sedulo ab aere, alias septimanæ intra spatium vim suam amittit. Observationes haud vulgares circa hunc Phosphorum factæ, & ab autore recensitæ, sequentes sunt. Expositus auroræ splendori, paulo ante Solem exortum, exhibet lucidum quasi roseum nitorem: appropinquante vero Sole ad meridianum, ad intensiorem ferri candefacti splendorem assurgit: paulo post Solis occasum, ad pallidum colorem instar matris perlarum declinat. Luci candela, vel fasciculi lignorum expositus, pallidi coloris lumen, simile illi, quod sub Solis descensum asciscit, contrahere solet: expositus

vero

vero ad notabile tempus Lunæ clarissimæ radii, nec tantillum hinc lucere observatur. In Vacuo Boyliano asservatus, etiam per 4 aut 5 menses, proprietatem istam Luminis rapacem minus solet perdere. Causam Phænomeni hujus in genere redditurus supra laudatus *Dr. Slare*, i. id, quod in mistura ista lumen suggerit, arbitratur esse partes igneas puras Spiritus nitri, in creta concentratas: 2. modum quod attinet, fieri hoc ipsum non per imbibitionem lucis, sed saltem per impressionem ab illa factam, unde oriatur motus in mistura, luminis productivus: &c. Noster vero Autor suspendit prope judicium: in primis enim quid lux sit, pressius declarari cupit: hinc arbitratur, quod in præsentī casu Sal cretaceus, nitrosus, & aereæ particulae infimul inserviant ad componendum subjectum aptum recipiendo genuino corpori lucido &c. &c. p. 357. Sed præter hunc Philosophorum solidum, Autor præterea mentionem facit duplicis *Phosphori liquidi*, quorum prioris quidem supponatur auctor *Dn. Dan. Krafft*, (revera tamen est *Kunckelius*, *Electori Sax. olim a Laboribus Chymicis*, qui secretum hoc se *Krafftio* communicasse affirmavit) posterioris vero inventore est *Dn. Boyle*, qui noctilucam aeriam appellavit.

Sequuntur 2. *Instrumenta ad Philosophiam naturalem* pertinentia: In quibus eminent in primis a *Weather Clock*, seu automaton, mutationes tempestatum & temperaturæ aeris ostendens: constat principaliter ex horologio cum pendulo, Barometro, thermometro, mensura pluviali, Ventilugio & hygroscoPIO. p. 358. Instrumentum pro mensuranda quantitate pluvie, quæ certo temporis spatio, super certam soli partem, v. g. jugerum defluat, descriptum p. 358. Autor ejus est *D. Wien*, nunc Soc. Reg. Præses Illustrissimus. *Furius Lampadis*, inserviens tam exclusioni ovorum, pro observando generationis processu, quam digestionī liquorum &c. p. 358. *Speculum ustorium cæcum*, h. e. compositum ex duobus vitris concavis, uti eo cum voveris, aqua communi relegendis: p. 359. Instrumenta *Otocoustrica* tria, pro juvando auditu, ex ebore unum, alterum ex cupro, in forma infundibuli, nisi quod rostrum sit nonnihil inflexum, pro meliori ad aurem applicatione & soni receptione: unum ex stanno figuræ conicæ, cum inclusa cochlea, p. 359.

Hinc 3. *Artificialia Mathematica & Mechanica*, v. g. *Telescopium* reflectens. p. 360. *Instrumentum* demonstrans, in quantum

navis adverso vento vela facere queat. p. 364. *Canoo* seu navicula Groenlandorum p. 364. *Venenum Macassarensium*, quo arma inficiunt. Cujus cum varii sint modi, in eo, quod hic prostat, apparent crura aliæque partes speciei cujusdam ex cantharidibus, quæ videntur mista cum certo Sale corrosivo. p. 368.

Denique 4. *Pure Mechanica. Statera Chinenfis*, exacte descripta: p. 369. *Par follium lignorum*. p. 369. *Sembradore Hispanicus*: hoc est machina, mediante qua simul & aratur & feritur & occatur. *Varia Indorum Utensilia* p. 372. item *Chirotheca & Ocrea Islandorum*. pag. 375.

Tandem *moneta*, & alia ad *Antiquitatem* pertinentia, Opus finiunt p. 380.

Præter opinionem crevit sub manibus recensus Musei. Sed æ ratione consultum voluimus Anglicana lingua minus gnavis, qui nihilominus uti hoc libro suo cum fructu poterunt, si figuras quibus expressa cuncta ad amussim sunt, conferre cum Excerptis his nostris sustinuerint. Appendicem vero quæ anatomen comparatam ventriculorum & intestinorum continet, Calendis Martii sumus exhibituri.

HERMANNI NICOLAIGRIM,
Chirurgiæ & Medicinæ Practici, & Societatis
Indiæ Oriental. Medici, Compendium Me-
dico-Chymicum.

Batavia Javanorum, Anno 1679. in 8.

PRæfens hoc scriptum est succincta quædam Praxis medica, ex longæ experientiæ sinu, ut in præfatione loquitur Autor, protrahita. Primo quidem uniuscujusque affectus specialis remedia & formulas, sibi tam in Europa, quam India usitatiora, in genere, ille ipse recenset: hinc Observationum nomine speciales curationes, historiam morbi paucissimis enarrando, & remedia administrata adjiciendo, subjungit: denique in fine Operis, curiosam variorum medicamentorum nonnullorum præparationem, annexit. Ipsas quod attinet curationes, & remedia adhibita, præter Vomitoria antimonialia & purgantia vegetabilia, alterantia adhibita maximam partem de na-

tura

tura Salium vol. Oleosorum existunt, sive præparatione jam ita elaborata, sive per misionem in ipsis præscriptionibus talia reddita. In specie *l. i. c. i. obs. i. p. 13.* Hemicrania gravis ex acri salsa materia, exterioribus membranis infixa, applicato cum linteis spiritu Corn. Cerv. brevi fuit fugata, *Obs. 15. p. 61.* Virgo Epilepsia habituali a 3 ætatis anno, ad 15 usque conflictata, interpositis laxativis debitis, sequenti mistura, crebrius eam capiendo, fuit curata:

Rec. Spir. sangu. humani dr. i.

Tinctur. castor.

Ess. succini ana dr. f.

Sal. succini volatil. scr. i.

Aqu. secundinæ unc. ij.

Syr. Pæoniæ unc. f. M.

Observ. 99. referuntur modi, quibus restituti fuerint ii, qui sub navali ad Indiam Orientalem itinere scorbuto correpti, membrorum rigore & aliis gravioribus symptomatis laborarunt. *L. 3. Obs. 26. & 27.* contra Icterus, spiritus Salis ammoniaci acidus potui ordinario instillatus, mire extollitur. *Obs. 36. p. 255.* notatur Diabetes, cum macie, ex abusu potus Thee, curatus, cum diæta, ut plurimum ex lacte, sequenti mistura, interponendo quandoque sem. frigid. emulsiones:

Rec. Liquor. Sal. hæmatitis dr. f.

Tinct. rosarum,

Santal. rubr. ana dr. i.

Syr. corall. unc. f.

Aqu. rosarum,

Nymphææ ana unc. ij. M.

Capiatur cochleatim.

Quod denique præparationes medicamentorum attinet, observandum est, quod Autor præsentis scripti, jam anno 1677 Belgico idiomate Bataviæ Indorum ediderit *Laboratorium Ceylonicum* ex inquilinis Ceyloniæ Insulæ simplicibus concinnatum, ut patet ex *Compend. hujus l. iii. obs. 25. p. 208* (in specie ex Act. Hafniens. Vol. V. obs. 5. pag. 223.) quod a *Barthol. Pielat Med. D.* latinitate donatum, publicæ læci, suppresso licet penitus Autoris nomine, expositum fuit. Plura ergo remediorum, præsentis scripto annexorum, jam in illo *Laboratorio Ceylonensi* fuerunt descripta, præter quæ tamen Spiritum
Tartari

Tartari fassafratum, fuliginis succinatum, Sal. ammon. succinatum, Sal. ammon. theriacalis, Sal. vol. oleosum ex rad. aromaticis destillando eliciendum, Sal. cran. human. aromaticum, Tincturam coraliorum, cum proprio eorum spiritu, Tincturam Sal. Liquorem Hæmatitis, Spiritum Sal. ammon. acidum, mediante quo Tincturam Martis parat, Elixir panis, Elixir Helmontii, Extractum Opii Tartarifatum aromaticum, Hæmatitem Philosophicum, aliaque nonnulla præparare docet.

LA CHIAVE DEL GABINETTO
del Cavagliere Giuseppe Francesco Borri,
Milanese,
 hoc est.

Clavis ad conclave secretius Josephi Francisci
 Burrhi, Mediolanensis Equitis.
 Coloniae, 1631. in 12.

Cum jam olim undique Burrhi fama innotuerit, veridica subinde eadem, non raro quoque mendacissima, visum fuit, & præsentis, nomine ejus insigniti, scripti mentionem injicere. Bipartitum est hoc ipsum, cujus priori parte, Editor Anonymus, Burrho tamen minus favens, ut vel ex præfatione innotescit, sub specie Dialogi, aliquot epistolas exhibet, quas Burrhum scripsisse asserit: quibus succinctam Vitæ Burrhi historiam, magis tamen Ecclesiasticam, quam civilem subjungit. In parte vero posteriori recensentur Instructiones Politicæ, quas Burrhus Regi Daniæ subministraverit. Epistolas quod attinet, earundem sunt X. In quarum prioribus duabus refertur Discursus habitus cum quodam nobili Dano, qui certas quasdam creaturas, præter hæcenus cognitatas, adeoque chimericas, utriusque sexus in quovis elemento sibi finxerit, quæ sint dociles, scientiarum amantes, sapientibus officiosæ, aut inimicæ stolidorum: quales in aqua sint *Ond:ni seu Nymfa*, in Terra *Gnomi*, in igne *Salamandra*, in Aere vero *Sylvi* quæ matrimonio junctæ cum hominibus, fiant immortales, &c. In 3. considerat generationem metallorum, tam naturalem, quam artificialem. In 4. docet secretum extrahendi

MENSIS FEBRUARII A. M DGLXXXII. 41

hendi semen auri, quod sit lapis verus Philosophorum; in 5. vero modum coagulandi Mercurium per Saturnum liquefactum: sicuti in 6. modum convertendi Mercurium in Solem & Lunam. In 7. describitur aqua destillata cosmetica, ex quibusdam vegetabilibus, pro corrigendis faciei vitiis. In 8. referuntur varia sic dicta secreta: v. g. conficere globulos vitreos, qui in igne cum insigni strepitu, instar bombardæ displodantur: item statuam, quæ extinctam candelam, quasi inspirando, reaccendat: mobile perpetuum alchymisticum: progerminationem variarum plantarum intra horæ spatium, ex earum seminibus promovere: & denique præparare atramentum crypticum, cujus scriptura evanescat, quæ alio superinducto atramento denuo compareat. In 9. docetur methodus separandi metalla ex suis mineris, per fusionem cum pulvere composito ex p. ii. Tartari p. ii. borrac. & p. nitri carbon. pulveris. p. i. In decimo denique refertur discursus Medici cujusdam Germani, de differentia corporis & animæ, & structura corporis animalium mechanica: cujusvi, citra animam, & citra ullam cognitionem, quasvis suas functiones edant bruta: & hæc omnia simpliciter ex principiis Cartesii: & hæc de Epistolis.

Altera hujus scripti pars continet plura Axiomata Politica, haud tamen adeo secreta, ad quorum normam Princeps imperium suum administrare debeat, illustrata discursibus & exemplis variis.

De quibus tamen omnibus, in Clave hac contentis, fides quidem sit penes *Editorem*, judicium vero penes *Lectorem*.

DE VERA PROPORZIONE CIRCULI AD
*Quadratum circumscriptum in Numeris
rationalibus*

^a
GOTHOFREDO GVILIELMO LEIBNITIO
expressa.

Proportiones curvilinearum ad Rectilinea investigare Geometræ semper sunt conati, & tamen nunc quoque, etiam post Algebram adhibitam, nondum ea res satis in potestate est, secundum methodos

F


qui-

quidem hæcenus publicatas; neque enim hæc problemata ad æquationes Algebraicas revocari possunt: & usum tamen pulcherrimum habent, inprimis in Mechanica ad puræ Geometriæ terminos reducenda, quod norunt, qui talia profundius inspexere, pauci quidem, sed maxime eximii Mathematicorum. Primus Archimedes, quantum constat, invenit, quæ sit ratio inter conum, sphaeram, & cylindrum ejusdem altitudinis & basis, nempe qualis est numerorum 1, 2, 3, ita ut cylinder sit triplus coni, & sesquialter sphaeræ; unde sphaeram & cylindrum etiam sepulcro suo insculpi jussit: Idem invenit quadraturam Parabolæ. Nostro seculo repertus est modus metiendi figuras curvilineas innumerabiles, inprimis quando ordinatæ BC, in Schemate 1, sunt in ratione utcumq; multiplicata aut submultiplicata, directa aut reciproca, abscissarum AB vel DC; erit enim figura ABCA ad rectangulum circumscriptum ABCD, ut unitas ad numerum rationis multiplicationem exprimentem, unitate auctum. Exempli gratia, quia in *Parabola* abscissis AB sive DC, existentibus ut numeris naturalibus, 1, 2, 3, &c. ordinatæ BC, sunt ut eorum quadrata 1, 4, 9, &c. seu in *duplicata* ratione numerorum, tunc numerus rationis multiplicationem exprimens erit 2: ergo erit figura ABCA ad rectangulum circumscriptum ABCD, ut 1 ad 2 + 1; seu ut 1 ad 3: sive figura erit tertia pars rectanguli. Si AB vel CD maneant numeri naturales, & BC fiant cubi, 1, 8, 27, &c. (nempe in *Paraboloide cubica*) foret ratio ordinarum *triplicata* rationis abscissarum: Ergo figura ad rectangulum, ut 1 ad 3 + 1 sive 4; seu pars quarta. Sin DC sint quadrata, BC cubi, sive ratio ipsorum BC, rationis ipsarum DC *triplicata subduplicata*, erit figura (*paraboloides cubico-subquadratica*) ABCA ad rectangulum ABCD, ut 1 ad $\frac{3}{2} + 1$; seu duas quintas rectanguli constituet. In *reciprocis*, numero rationis multiplicationem exprimenti præfigitur signum -, sive minus.

Sed circulus nondum hæcenus cogi potuit sub hujusmodi leges, quamvis ab omni retro memoria a Geometris exercitus. Nondum enim inveniri potuit Numerus exprimens rationem Circuli A, ad quadratum circumscriptum BC *Figur. 2*, quod est quadratum diametri DE. Nec inveniri potuit ratio circumferentiæ ad diametrum, quæ est quadrupla rationis Circuli ad Quadratum, Archimedes quidẽ Polygona Circulo inscribens & circumscribens, quoniam major est in-

scriptis,

TAB. IV. ad *A. 1682 p. 42*




Numero DEUS
I
impare gaudet

III.



BHG F E D C A IV.
 $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{12}$ $\frac{1}{16}$ $\frac{1}{8}$ $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{2}$



	<p>III</p>
	<p>III</p>
<p>VI</p>	<p>III</p>

scriptis & minor circumscriptis, modū ostendit, exhibendi limites intra quos circulos cadat, sive exhibendi appropinquationes: esse scilicet rationem circumferentiæ ad diametrum, majorem quam 3 ad 1, seu quam 21 ad 7, & minorem quam 22 ad 7. Hanc Methodū alii sunt profecuti, Ptolemæus, Vieta, Metius, sed maxime Ludolphus Colonienfis, qui ostendit esse circumferentiā ut 3. 14 159 265 358 979 323 846 &c. ad diametrum, ad 1. 00000000000000000000

Verum hujusmodi Appropinquationes, etsi in Geometria practica utiles, nil tamen exhibent, quod menti satisfaciāt, avidæ veritatis, nisi progressio talium numerorum in infinitum continuandorum reperitur. Multi quidem perfectum Tetragonismum professi sunt, ut Cardinalis Cusanus, Orontius Finæus, Josephus Scaliger, Thomas Gephyrander, Thomas Hobbes, sed omnes falso; calculis enim Archimedis vel hodie Ludolphi, refellebantur.

Sed quoniam video, multos non satis percepisse, quid desideretur: sciendum est, Tetragonismum sive conversionem circuli in æquale quadratum, aliamve rectilineam figuram (quæ pendet a ratione circuli ad quadratum diametri, vel circumferentiæ ad diametrum) posse intelligi quadruplicem; nempe vel per calculum, vel per constructionem linearum; utrumq; vel accurate, vel propemodum. *Quadraturam* per calculum accuratum voco *Analyticam*; eam vero quæ per Constructionem accuratam fit, voco *Geometricam*: per calculum prope verum, habetur *appropinquo*; per constructionem prope veram, *Mechanismus*. Appropinquationem longissime produxit Ludolphus; Mechanismos egregios Vieta, Hugenius, aliique dedere.

Constructio Geometrica accurata haberi potest, qua non tantum Circulum integrum, sed & quemlibet sectorem sive arcum metiri liceat, motu exacto atque ordinato, sed qui curvis transcendentibus competat; quæ per errorem alioqui Mechanicæ censentur, cum tamen æque sint Geometricæ, ac vulgares: licet Algebraicæ non sint, nec ad æquationes Algebraicas, seu certi gradus, reduci queant; suas enim proprias, etsi non Algebraicas, tamen analyticas habent. Sed ista hic pro dignitate exponi non possunt. *Quadratura Analytica*, seu quæ per calculum accuratum fit, iterum in tres potest dispesci; in Analyticam transcendentem, Algebraicam, & Arithmeticam. Analytica *transcendens*, inter alia habetur per æquationes gradus indefiniti, hæcenus

a nemine consideratas, ut si sit $X^2 + X$ æqual. 30, & quærat^rur X , reperietur esse 3, quia $3^2 + 3$ est 27 + 3 sive 30: quales æquationes pro circulo dabimus suo loco. *Algebraica* expressio fit per numeros, licet irrationales, vulgares, seu per radices æquationum communium: quæ quidem pro quadratura generali circuli sectorisque impossibilis est. Superest *Quadratura Arithmetica*, quæ saltem per series fit, exhibendo valorem circuli exactum progressionem terminorum, in primis rationalium, qualem hoc loco proponam.

Inveni igitur: vid. fig. 3.

Quadrato Diametri existente 1

circuli aream fore: $\frac{1}{1} - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11} + \frac{1}{13} - \frac{1}{15} + \frac{1}{17} - \frac{1}{19}$ &c. nempe quadratum Diametri integrum demta (ne nimius fiat valor) ejus tertia parte, addita rursus (quia nimium demsimus) quinta, demtaque iterum (quia nimium readjecimus) septima; & ita porro.

Eritque valor justo major 1 errore tamen existente infra $\frac{1}{3}$

minor $\frac{1}{1} - \frac{1}{3}$ - - - - - $\frac{1}{5}$

major $\frac{1}{1} - \frac{1}{3} + \frac{1}{5}$ - - - - - $\frac{1}{7}$

minor $\frac{1}{1} - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7}$ - - - - - $\frac{1}{9}$

&c. &c.

Tota ergo series continet omnes appropinquationes simul, sive valores justo majores & justo minores: prout enim longe continuata intelligitur, erit error minor fractione data, ac proinde & minor data quavis quantitate. Quare tota series exactum exprimit valorem. Et licet uno numero summa ejus seriei exprimi non possit, & series in infinitum producat^rur; quoniam tamé una lege progressionis constat, tota satis mente percipitur. Nam, siquidem Circulus non est quadrato commensurabilis, non potest uno numero exprimi, sed in rationalibus necessario per seriem exhiberi debet; quemadmodum & Diagonalis quadrati, & sectio extrema & media ratione facta, quam aliqui divinam vocant, aliæque multæ quantitates, quæ sunt irrationales. Et quidem si Ludolphus potuisset regulam dare, qua in infinitum continuarentur numeri 314,159 &c, dedisset nobis quadraturam Arithmeticam exactam in integris, quam nos exhibemus in fractis.

Ne quis autem in his parum versatus putet, seriem ex infinitis terminis constantem non posse æquari Circulo, qui est quantitas finita

nita: sciendum est, multas series numero terminorum infinitas, esse in summa quantitates finitas. Exempli facillimi loco sit series ab unitate decrescens, progressionis geometricæ duplæ, $\frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} + \frac{1}{32} + \frac{1}{64}$ &c. in infinitum; quæ tamen non facit plusquam 1. Nam in adjecta linea recta AB (Fig. 4.) quæ sit 1, erit AC $\frac{1}{2}$, & residuum (CB) bifecando in D, habebis CD $\frac{1}{4}$; & residuum (DB) bifecando in E, habebis DE, $\frac{1}{8}$; & residuum (EB) bifecando in F, habebis EF, $\frac{1}{16}$; & ita continuando sine fine, nunquam egredieris terminum B. Idem in fractionibus numerorum figuratorum seu triangulo Harmonico fieri, a me alibi ostensum est.

Multa notari possent circa hanc Quadraturam, sed quæ nunc persequi non vacat; hoc tamen præterire non oportet, terminos seriei nostræ, $\frac{1}{1}, \frac{1}{3}, \frac{1}{5}, \frac{1}{7}, \frac{1}{9}$ &c, esse progressionis harmonicæ, sive in continua proportione harmonica, ut experienti patebit: Quin & per saltum, $\frac{1}{1}, \frac{1}{5}, \frac{1}{9}, \frac{1}{13}, \frac{1}{17}$ &c; est etiam series progressionis harmonicæ; & $\frac{1}{3}, \frac{1}{7}, \frac{1}{11}, \frac{1}{15}, \frac{1}{19}$ &c, est itidem series harmonice proportionalium. Itaque cum Circulus sit $\frac{1}{1} + \frac{1}{5} + \frac{1}{9} + \frac{1}{13} + \frac{1}{17}$ &c, $-\frac{1}{3} - \frac{1}{7} - \frac{1}{11} - \frac{1}{15} - \frac{1}{19}$ &c, posteriorem seriem partialem, a priori subtrahendo, erit magnitudo Circuli, differentia duarum serierum progressionis harmonicæ. Et quoniam quotcunque terminorum numero finitorum progressionis harmonicæ summa, compendio aliquo iniri potest, hinc appropinquationes compendiosæ, (si post Ludolphinam illis esset opus) duci possent.

Si quis in serie nostra terminos signo— affectos tollere volet, is duos proximos $+\frac{1}{1} - \frac{1}{3}$, item $+\frac{1}{5} - \frac{1}{7}$, item $+\frac{1}{9} - \frac{1}{11}$, & $+\frac{1}{13} - \frac{1}{15}$, & $+\frac{1}{17} - \frac{1}{19}$, & ita porro, in unum addendo, habebit seriem novam pro magnitudine Circuli, nempe $\frac{2}{3}$ (id est $\frac{1}{1} - \frac{1}{3}$) $+\frac{2}{35}$ (id est $\frac{1}{5} - \frac{1}{7}$) $+\frac{2}{99}$ (id est $\frac{1}{9} - \frac{1}{11}$) itaque:

Quadrato inscripto existente $\frac{1}{4}$

Erit Area Circuli $\frac{1}{3} + \frac{1}{35} + \frac{1}{99} + \frac{1}{195} + \frac{1}{323}$ &c.

Sunt autem numeri 3. 35. 99. 195. 323 &c, excerpti per saltum ex serie numerorum quadratorum (4. 9. 16. 25. &c.) unitate minorum, unde fit series: 3. 8. 15. 24. 35. 48. 63. 80. 99. 120. 143. 168. 195. 224. 255. 288. 323. 360. 399 &c. ex cujus seriei numeris, quartus quisque post primum noster est. Inveni autem (quod memorabile est) seriei infinitæ $\frac{1}{3} + \frac{1}{8} + \frac{1}{15} + \frac{1}{24} + \frac{1}{35} + \frac{1}{48} + \frac{1}{63} + \frac{1}{80} + \frac{1}{99}$ &c, summam esse $\frac{2}{3}$, quin

F 3

& sim-

& simplici saltu excerpando, nempe $\frac{1}{3} + \frac{1}{15} + \frac{1}{35} + \frac{1}{63} + \frac{1}{99} + \dots$ &c. ejus seriei infinitæ summa facit $\frac{2}{4}$ seu $\frac{1}{2}$. Sed si ex hac iterum, simplici saltu terminos excerpamus, nempe: $\frac{1}{3} + \frac{1}{35} + \frac{1}{99} + \dots$ &c. ejus seriei infinitæ summa erit Semicirculus, posito quadratum Diametri esse 1. Quoniam autem eadem opera & *quadratura Hyperbolæ Arithmetica* habetur, placet totam harmoniam oculis subicere:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
149	16	25	36	49	64	81	100	121	144	169	196	225	256	289	324	361	400		
0	38	15	24	35	48	63	80	99	120	143	168	195	224	255	288	323	360	399	
$\frac{1}{38}$	$\frac{1}{15}$	$\frac{1}{24}$	$\frac{1}{35}$	$\frac{1}{48}$	$\frac{1}{63}$	$\frac{1}{80}$	$\frac{1}{99}$	$\frac{1}{120}$	$\frac{1}{143}$	$\frac{1}{168}$	$\frac{1}{195}$	$\frac{1}{224}$	$\frac{1}{255}$	$\frac{1}{288}$	$\frac{1}{323}$	$\frac{1}{360}$	$\frac{1}{399}$	&c.	
$\frac{1}{3}$	\cdot	$\frac{1}{15}$	\cdot	$\frac{1}{35}$	\cdot	$\frac{1}{63}$	\cdot	$\frac{1}{99}$	\cdot	$\frac{1}{143}$	\cdot	$\frac{1}{199}$	\cdot	$\frac{1}{255}$	\cdot	$\frac{1}{323}$	\cdot	$\frac{1}{399}$	&c.
\cdot	$\frac{1}{8}$	\cdot	$\frac{1}{24}$	\cdot	$\frac{1}{48}$	\cdot	$\frac{1}{80}$	\cdot	$\frac{1}{120}$	\cdot	$\frac{1}{168}$	\cdot	$\frac{1}{224}$	\cdot	$\frac{1}{288}$	\cdot	$\frac{1}{360}$	\cdot	&c.
$\frac{1}{3}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{35}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{99}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{195}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{323}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{399}$	\cdot	\cdot	\cdot	&c.
\cdot	$\frac{1}{8}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{48}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{120}$	\cdot	\cdot	$\frac{1}{224}$	\cdot	\cdot	\cdot	$\frac{1}{360}$	\cdot	\cdot	\cdot	\cdot	&c.

æquatur $\left\{ \begin{array}{l} - - - - - \frac{3}{4} \\ - - - - - \frac{2}{4} \\ - - - - - \frac{1}{4} \end{array} \right.$

æquatur $\left\{ \begin{array}{l} \text{circulo ABCD cujus} \\ \text{potentia inscripta} \\ \text{Hyperbolæ CBEHC, cu-} \\ \text{jus quadratum ABCD} \end{array} \right\} \text{est } \frac{1}{4}$

Sit in *Figura 5*. Asymptotis AF, AE, sibi normalibus, Hyperbolæ curva descripta GCH, cujus vertex C, potentia vero Hyperbolæ inscripta sive quadratum, quod rectangulo sub ordinata quacunque EH, in suam abscissam AE, semper æquale est, sit ABCD: circa hoc quadratum describatur Circulus, & ponatur Hyperbola ita continuata a C usq; ad H, ut sit AE dupla ipsius AB. Tunc posito AE esse unitatem, erit $AB \frac{1}{2}$, & ejus quadratum ABCD erit $\frac{1}{4}$, & circulus cujus potentia inscripta est ABCD, erit $\frac{1}{3} + \frac{1}{35} + \frac{1}{99} + \dots$ &c. Hyperbolæ vero (cujus potentia inscripta est idem quadratū $\frac{1}{4}$) portio CBEH Cquæ logarithmicæ rationis ipsius AE ad AB (sive binarii) representat, erit $\frac{1}{8} + \frac{1}{48} + \frac{1}{120} + \dots$ &c.

JOH-

MENSIS FEBRUARII A. MDC LXXXII. 47

JOHANNIS OLEARII

Sereniss. Sax. Ducis JOH. ADOLPHI Concionatoris Aulici Pri-
marii, Consilarii Eccles. & Superint. General,

Biblishe Erklärung/

in

Fünff Theilen.

Hoc est

ANNOTATIONES AD SCRIPTURAM

totius Vet. ac Nov. Testam. Germanicæ, Tomis

V comprehensæ

Lipsiæ, sumptibus Joh. Christoph. Tarnovii. in fol. 1681.

Opu. hoc sexaginta fere annorum (ut Autor ipse vocat sub finem Tomi ultimi) omnis generis & conditionis hominibus per Germaniam, præcipue Theologis ac Verbi Divini Ministris, utilissimum & valde accommodum, post *Generalem totius Scripturæ Clavem & Introductionem*, pandit: I. *Uniuscujusque Libri Biblici* (a) *Nomenclaturam* (b) *Comprehensionem summariam* (c) *Distinctionem accuratam* (d) *Interpretum selectiorum recensionem* (e) *Principalis scopi considerationem* (f) *Autoritatis Canonice ac prorsus Divinæ certitudinem infallibilem* (g) *Succinctam & versibus mnemonicis inclusam recensionem.* II. *Singulorum Caputum* (1) *summarium una voce expressum* (2) *Justam partitionem* (3) *Exquisitam connexionem una cum scopi primarii ostensione* (4) *Dictorum præcipuorum & phraseologiæ sacræ notabilioris ex fontibus Hebraicis & Græcis deductam explicationem* (5) *Usum Didactici, Paracletici, atque Pædeutici necessariam demonstrationem* (6) *per sententias Patrum Ecclesiæ Veteris ac* (7) *B. etiam Lutheri, sufficientem illustrationem.*

D. VALENTINI ALBERTI, P. P. Lipsiensis,

INTERESSE PRÆCIPUARUM REL-

igionum Christianarum in omnibus Fidei Ar-

ticulis deductum.

Lipsiæ & Francofurti apud Davidem Fleischerum, 1681. in 12.

Non

Non momentum modo Sacrorum Dogmatum in hac Religionum collatione exponit Autor, sed causas quoque primas & imas veluti radices prodit, ex quibus dissentientium Partium propriae hypotheses proferuntur. Idque sine potissimum gemino: cum ne quis Politicorum forte in animum inducat, operam vel suam in salutifera doctrina perdiscenda: vel Doctorum, in eadem proponenda ac defendenda, occupari frustra; tum ut intentione Docentium ubique perfecta, rectum fecernere a pravo, verum a contrario, tanto rectius possint, quotquot Religionis curam a se non spernunt procul, sed veram eamque unicam salutis viam non ignorare, sua quidquam interesse arbitrantur.

Supposito autem, quod per *Interesse Partium*, in Religione puta dissentientium, nihil designatum aliud hoc in loco velit, quam *πεῶτων ἀληθῆς* recte; & *πεῶτων ψεύδους*, secus sentientium, limites etiam constituit Autor accuratos inter Religionis cujusque *Articulum Principalissimum*, & *Principium Primum Dogmaticum*: Certus, *Articulum de Justificatione v. g. per fidem, de Capite Summo Ecclesiae visibili infallibilique Pontifice Romano, de Absoluto Prædestinationis Decreto*, a suis utique Patronis ac Defensoribus pro Principalissimis haberi, alios ab aliis; Primi vero Principii Dogmatici partes non nisi horum effatorum, *Deus dixit, Papa dixit, Ratio dixit*, aliquod in eorundem scholis occupare ideo, quod articulis singulis a suis, jam expresse, jam tacite substernantur, reveraque Analysis omnium ultima in ista tandem fiat.

Quibus fundamentis instituti sui jactis, ad ipsam Articulorum *θεωρίαν* pedem promovet, quatuor ubiq; faciens dicendorum membra. Quorum *primo* distincte perque partes proponit Thesin suam, in Libris Lutheranorum Symbolicis definitam, Dictoque Scripturarum Classico, aut testimonio etiam ecclesiastico probatam. *Secundo* Antithesin aliorum subjicit, e primariis cujusque Patris scriptis ac Scriptoribus petitam: atque ita subjicit, ut simul & Syncretistarum, ut vocant, indolem, ubi thesin scilicet nostram in gratiam adversæ partis inflectunt aut detorquent; & reliquorum Antagonistarum artes, cum æquivocationis mysterio sua dogmata conantur occultare, notet ac observet. *Tertio* ipsum non solum Lutheranae, sed contrariarum quoque Religionum Interesse, quo nimirum adducta & permota

permota unaquæque hoc illudve statuat, persequitur. *Quartum* denique ex Historia Ecclesiastica erroris cujusque repetit originem. Atque hæc singula, ordine jam dicto, in Articulo de S. Scriptura, de DEO, de CHRISTO, de Integritatis & Corruptionis statu, de Prædestinatione, de Justificatione, de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Sacra Cœna, de Ecclesia & Hierarchiis, de Adiaphoris & de Statu post mortem, reliquis nimirum, quibus specialis titulus datus non est, ad alios cognatos Articulos redactis, illisque potissimum Thesis selectis Antithesisque, in quibus Interesse Partium fuit maxime conspicuum, solerti studio, & ad *συνάφειαν* Articulorum, integramque Fidei catenam plenius intelligendam perquam utili, exequitur.

CASPARIS ZIEGLERI

DE JURIBUS MAJESTATIS

Tractatus Academicus, in quo pleraque omnia,

quæ de Potestate & Juribus Principis disputari solent,

strictim exponuntur.

Wittebergæ 1681, in 4.

MAGNUM libro huic decus ab Auctore, Consiliario Saxonico, Antecessore in inclyta Leucorea primario, viro tot in lucem editis literarum monimentis de orbe erudito præclarissime merito. Opus ipsum ex variis Disputationibus Academicis in unum hoc volumen succrevit, in duos libros ita distributum, ut prior inter Regalia exhibeat ea, quæ *πρώτως τὸ κύριον* afficiunt: posterior vero in iis, quæ Fiscii augmento potissimum inserviunt, occupetur. Argumenta singula utilissimi operis ut recenseamus, ipsa eorum prohibet amplitudo ac varietas. Habent hic, quod discant, subditi: habent, quo doceantur, Magistratus: habet ipsa, quod sequatur, Majestas. Instruunt Theologum, quæ *de jure Majestatis circa sacra* integris undecim Disputationibus, a p. 241 ad 367 traduntur. Jcto, etiam quæ in foro in usus suos transferat, abunde subministrant tot Præjudicia, ac Responſa Prudentum, imprimis Nobilissimi Jctorum in Academia Wittebergenſi Ordinis, quæ explicandis juris cujuscunque Quæſtionibus passim inferuntur. Civilis vero Scientiæ cultori ea propi-

G

nantur

nantur principia, quæ sequi tuto possit, quibusque imbutus probe ac munitus a perniciosis aliorum dogmatibus cavere sibi quam optime valeat. Adeo vel hic Ziegleri liber comprobatur, quantum consuli Reipublicæ literariæ per illos possit, qui cum civilis Canonique ac publici Juris solidiore scientia, SS. etiam Theologiæ, civilis item ac moralis Philosophiæ, imo humaniorum quarumcunque literarum cultum per omne vitæ spatium conjungunt.

SEBASTIANI SCHELCKENS,

*Jcti ET ANTECESSORIS FRISII
Elementa Jurisprudentiæ Romanæ: quibus accessit liber ejus repetita prælectionis de Successione ab intestato, ex præscripto Novella 118 concinnatus.*

Franequeræ 1681. in 4.

HOc opusculum, pro tyronibus, ceu videtur, conscriptum, eundem ordinem methodumque servat, qua in suis Jurisprudentiæ elementis Justinianus utitur. Auctor enim totum id ad Imperatoris ductum quadraginta & una tabulis mnemoneuticis complexus, in eo potissimum occupatur, ut singulas, quæ in iis occurrunt, definitiones atque divisiones, uberiori tum ex antiquitate Romana, tum historia nonnunquam recentiori petita explicatione partim illustret, partim legibus Romani ac novissimi Juris, nec non nobiliorum Interpretum auctoritate confirmet, præmissis cuique titulo paragraphorum numero, quique in Pandectæ, Codice & Novellis eidem respondeant, succincta recensione. Adjectus de successione ab intestato libellus sex capitibus absolvitur. Primum successione hujus homonymiam, definitionem atque divisionem exhibet. Secundum Descendentium jura cum primum ulterioris ordinis explicat. Tertium, quomodo succedant Ascendentes, docet. Quartum Collateralium ordinem enarrat. Quintum, quo jure conjuges utantur, suggerit. Sextum denique, quando succedat Fiscus, proponit; Feudorum, ut & Saxonico jure, sicubi res postulat, non penitus neglecto.

M, Ja-

M. JACOBI THOMASII

PRÆFATIONES SUB AUSPICIA

*Disputationum suarum in Academia Lipsiensi recitata,
argumenti varii.*

Lipsiæ A. 1681, apud Joh. Fuhrmannum. in 8.

Octoginta quinque Disputationes per id spatium temporis, quo docendi munere in Academia Lipsiensi functus est, publicæ disquisitioni Jacobus Thomasius, Moralium primum, post Dialecticæ, nunc Eloquentiæ Professor Publicus exposuit. Totidem Præfationes suo quasque tempore ante ipsum confabulationis conflictum ab se recitatas publici nunc juris fecit, quæ argumenti tam varii, ut neminem non reperiturum in iis arbitremur quædam usibus suis ingenioque accommoda. Theologo exempli causa, quæ *de causis Atheismi*, (præf. 65.) *de superbia*, *primi in paradiso falsi matre*, (præf. 80.) *de duplici morte, una corporis, altera animæ*, (præf. 38.) *de dogmate Proclianitarum super visione quadam Ezechielis* (pr. 63.) *de testibus veritatis Bernhardo, Anselmo, atque aliis* (pr. 84. & 85.) *differuntur*: quæ *contra Machiavellum, indignantem quod ethnica religio sit abolita*, (pr. 69.) *contra eos, qui Poetarum fabulas ad Historiam sacram detorquent*, (pr. 81.) *contra duplicis & contradictoria veritatis assertores*, (pr. 42.) *contra Gentiles Deum cælo alligantes* (pr. 4. & 25.) *disceptantur*, non poterunt non probari. Inveniet Politicus, quæ cum fructu legat *de Machiavellistis & Monarchomachis*, (pr. 49.) *de pomo eridos in certamine dignitatum civilium*, (pr. 26.) *de Optimatum & Plebejorum in Republica conjunctione*, (pr. 39.) *de Republica Rerumpublicarum*, (pr. 37.) aliisque ejus generis. Ethicus ut passim in argumenta moralia incidet, & quam plurimos Aristotelis in libris Ethicis locos, veluti *I. Nic. 9. de πενηρωμένοις πρὸς ἀρετὴν*, (pr. 13.) & illum *i. Magn. Moral. ult. sapientiam hero, prudentiam ejus procuratori comparantem* (pr. 64.) illustratos animadvertet: ita præcipue de vindicata (pr. 52. & 57) a pestilenti *Thomæ Hobbessii dogmate de statu hominis naturali*, quem *in bello omnium contra omnes* constituit, morum Philosophia sibi gratulabitur. Grammatico proverbium *de modio salis* (pr. 76.) *de barba straminea* (pr. 73.) illudque Anglorum, quo *Utlagatum caput ajunt*

lupinum habere (pr. 59.) explicata placebunt. Historiarum cupido non injucundum erit *memoriam Mauriti Electoris Saxonie* (pr. 44.) doctorumque quorundam virorum, *Joachimi Camerarii* (præfat. 75) *Job. Benedicti Carpzovii* (pr. 24.) *Frid. Leibnützii* (pr. 7.) recolere; de *Brasilianorum* item *lingua, religione ac Republica* (pr. 16.) cognoscere. Nec defutura vel Physico vel Dialectico sunt, quæ cum voluptate legant. Ast fatendum tamen, præcipuam in his Præfationibus paginam facere *Philosophicam Historiam*, quam & antehac in *Schediasmate Historico* Ao. 1665. evulgato, inque Exercitatione *de exustione mundi Stoica*, aliisque ad Stoicæ imprimis Philosophiæ Historiam facientibus *dissertationibus* Lipsiæ a. 1676 editis: & in novissimo hoc opere illustrandam Auctor suscepit. Huc enim spectant, quæ de *sententia Aristotelis circa originem corporis & animæ humanæ*, (pr. 67.) de *controversia de tribus in homine animabus*, (pr. 46.) de *erroribus gentilium circa animam hominis*, (pr. 46. & 48.) de *μετεωρολογίαι Aristotelicorum, ἀπειθεία Stoicorum, ἐμπεθεία Epicureorum*, (pr. 55.) de *triplici Gallorum Philosophia comparata cum triplici Græcorum* (pr. 79) de *causis ineptiarum barbari ævi Scholastici*, (pr. 82.) de *origine controversiæ Scholasticæ de principio individuationis*, (pr. 43.) de *affectibus semiscentibus controversiæ de gynæocratia*, (pr. 56.) ejusdemque generis aliis alibi traduntur. Quæ cum ita sint, consultum omnino fore putamus rei literariæ, si & *Disputationes* ipsæ quæ Præfationibus hisce occasionem præbuerunt, junctim edantur; & varii item argumenti orationes justæ, quas paratas idem Auctor prælo habet, in publico quamprimum conspiciantur.

MYTHOGRAPHI LATINI, HYGINUS, Fulgentius, Lactantius Placidus, & Albricus Philosophus. Th. Munckerus omnes e Mss. & conjecturis emendavit & commentariis instruxit.

Amstelod. 2. Voll. in 8. 1681.

Proft. Lipsiæ apud Joh. Grosfium, & C. F. F. Hær.

Fabularem historiam, quam Mythologiam vocant, explicare instituerunt complures Veterum Græci æque ac Latini: quorum tamen

tamen pleraque monumenta interciderunt, pauca ad nos pervenerunt. E Latinis quæ supersunt, olim Basileæ & post apud Commelinos junctim edita Th. Munckerus cum Commentariis, eo ipso, quo diem suum obiit, anno, emisit in publicum, Clarissimi Angli *Thomæ Gale* ea in re haud dubie æmulatus industriam. Is enim ex Græcis Fabulari historiae Scriptoribus jam Cantabrigiæ a. 1671. Palæphati, Heracliti, ac Anonymi cujusdam Heraclito recentioris de incredilibus libellos, cum Pornuti Commentario de natura Deorum, opusculisque similibus aliis: anno 1675. vero Parisiis Bibliothecam Apollodori, Cononis Narrationes 50, Ptolemæi Hephæstionis novæ ad variam eruditionem Historiæ libros 7, Parthenii Nicaensis Erotica, ac Antonini Liberalis Metamorphoses, cum Præfationibus & notis eruditissimis, in lucem ediderat. Illius ergo exemplo Munckerus noster Latinis Mythologis illustrandis omni studio incubuit, tandemque duobus eos tomis comprehensos edidit: quorum prior *Hygini fabulas & Poëticon Astronomicon*: alter Fabii Planciadis *F. Igentii Mythologias*, *Continentiam Virgilianam*, & libellum *de prisco sermone*; Lactantii Placidi *argumenta Metamorphoseon Nasonianarum*, & Albrici Philosophi commentariolum *de Imaginibus Deorum* exhibet. In Notis, quæ cuiusvis paginae substractæ sunt, plenissimus in Autores hos, quos explicandos suscepit, habetur Commentarius, ex omnibus omnino, qui historiam fabularem persecuti sunt, contextus monumentis: Textus ex optimis impressis & Mstis Codicibus emendatus & restitutus, dictio ex variis autoribus illustrata, indices etiam copiosi congesti sunt, & cuiusvis Autorum de stylo, ætate & vita ipsius editionibusque antea vulgatis Dissertatio præfixa: ut instructum fabularis historiae thesaurum dedisse magno studio apparatus, doctissimus autor censendus sit.

THEAERIAL NOCTILUCA:
*Or some new Phenomena, and a Process, of a
 factitious self shinnig substance, by Rob. Boyle, Fellow of
 the Royal Society, Lond. 1680. 8.*

*NOCTILUCA AEREA, SEU NOVA
quædam Phenomena & Processus substantiæ
artificialis per se lucentis. Per Robertum Boyle, Societatis
Regiæ Socium.*

Londini 1680. in 8.

NON æque intuentium oculos perstrinxisse videtur Phosphori Noctilucæque splendor, ac curiosorum excitavit ingenia, & exercuit manus; illa quidem, ad expiscanda Naturæ in istis recondita secreta, has vero ad elaborandum eadem accuratius. Phosphori itaque artificialis præmissa superius consideratio exigit omnino, ut & Noctilucæ, eaque præsentis scripti occasione, injiciatur mentio. Præmittit autem Nobilissimus Autor differentiam Phosphorum inter & Noctilucam: dum illo innuitur corpus, quod ab objecto lucido, Sole vel igne illustratum prius, aliquandiu in tenebris lucet, quale est famosus ille Lapis Bononiensis, & Phosphorus Hermeticus Balduini, collationem quorum mutuam superioribus jam annis singulari scripto instituit *Christ. Menzelius*, D. Med. Noctiluca vero tale significat corpus, quod citra præviã extrinsecus factam illuminationem, in ista luce in tenebris fulget. Hujus tres recensentur differentiæ: 1. est *Noctiluca consistens* (seu gummea) quibusdam *constans* dicta, quæ sub spissiori consistentia continuo lucet. 2. *Noctiluca liquida*, sive quæ fluidi liquoris texturam obtinet. De quibus jam *Kirchmaierus* dissertatione peculiari egit. Hisce sibi a D. Kraft monstratis, tertiam, ceu proprii ingenii, (haud tamen absque repetitis frustraneorum tentaminum tædiis) partum, superaddit Autor differentiam, *Noctilucam scil. Aream*, quæ quidem ipsa more priorum non solet splendere, attactu vero aeris immediate lucem spargat, ita quidem, ut non ipsa materia Noctilucæ, sed ejus effluvia cum aere admisso permista, lucis phænomena exhibeant. Hisce præmissis, subjungit plures observationes, in quibus accurate omnia recensentur phænomena, circa aream hanc noctilucam notabilia, ista speciatim, quæ in relatione ejus ad aerem apparent, utpote tam ad productionem, quam propagationem lucis ejus specialiter necessarium, utut vis ejus elastica ab illa imminuatur: item quod lux, & fumus lucidus, flammæ

mæ ad instar, sensilis caloris haud videatur particeps, nec pulverem pyrium accendere aptus, utut densior & unctuosior luciferæ materiæ portio, disposita magis ad incalescentiam, & combustionem existat: quod materia lucifera, etiam citra aeris admissionem, caloris paulo intensioris impetu, fulgurationes quasdam edat, &c. Ex quibus & aliis eo inclinatur, ut arbitretur, lucem noctilucæ dependere a peculiari & celerissima agitatione particularum quarundam minutarum materiæ luciferæ, in magnitudine, figura & textura ita specialiter constitutarum, ut impellere valeat contiguum ætherem ad oculum usque nostrum: quodque aeris externi contactus, multum contribuatur ad specialem istam agitationem; in Noctiluca quidem consistente, tanquam adjuvans, in aerea vero tanquam necessarium concurrens. Sequitur denique ipsa Noctiluca hujus aereæ præparatio, quæ consistit in Urinæ humanæ putrefactæ ad consistentiam spissioris syrupi seu mollioris extracti inspissatione, quod magma cum triplo arenæ permixtum, successivis ignis aperti destillatur gradibus, usque ad summum ejus rigorem, donec sub finem destillationis prodeat materia, cæteris prioribus ponderosior, & in fluido prius destillato prompte subsidens in Receptaculo, quæ est illa ipsa Noctiluca. Qui Processus, num quoad principaliora cum modo Kunckelii coincidat, cogitandum rerum harum peritis relinquimus.

PETRI LOTICHII SECUNDI ECLOGA

in qua Serenissima duæ Germanicæ Domus Saxonica & Palatina ab origine prima percensentur; L. Joachimi Felleri, Poes. P. P. in Acad. Lips. Notis Philologicis & Historicis illustrata.

Lipsiæ, anno 1681, in 8. apud J. H. Frommannum.

ID potissimum hic agit Notarum Autor, ut ostendat, non parum eos falli, qui præter delectationem nihil in Poetarum monumentis reperiri arbitrantur. Nam uti Poetas alios, tanquam humanæ Sapientiæ Doctores & Civilis Prudentiæ Magistros, introduxit alibi, cum Rapporto, Antecessore suo, ad Philosophiam eos exigens, id est, Philosophorum dogmata ex Poetarum scriptis collecta erudito orbi sistens: ita optimum Superioris Seculi Poetam, Petrum Lotichium Secundum, in medium nunc producit, velut locupletem antiquiorum temporum & historicæ veritatis testem.

Pri-

Primam Scripti partem ipsa facit Ecloga, e tersis politisque Lotichii Poematis, sepositis tantisper aliis, huc translata. Cujus textui plena deinde manu flores adspersit, e Philologorum partim, partim Historicorum hortis atque viridariis decerptos, sedulus ἀνθολογόμεν. Cum enim Carmen hoc Heroicum, in Saxoniae Ducis JOHANNIS WILHELMI, & Palatinae Principis DOROTHEÆ SUSANNÆ Illustrissimas Nuptias conscriptum, Celsissimos Sponsi atq; Sponsæ Majores inde ab origine prima repetat; non modo ipsum argumentum Carminis, partes, atque genus ex historiae propriæque artis legibus Autor explicat; sed uberius quoque de Serenissimæ Utriusque, cum Saxonica, tum Palatinae Domus origine, Majoribus, Heroum, quos utraque habuit, rebus domi forisque præclare gestis, de Germaniæ populis antiquis, metallifodinis hinc inde per Sudetum juga repertis, Urbium, quin & Academiarum incunabulis, Nominibus, Insignibus, & incrementis, de arcibus prædatoriis & earum destructione, aliisque rebus canam antiquitatem spirantibus disserit, Illustri Epithalamio ubique duce usus atque indice: idque eo facit compendio, ut Historia Saxonica & Palatina antiquior, velut in nuce exhibita hoc ipso commentario fuisse videatur. In extremo geminus, pro Philologicarum & Historicarum rerum discrimine, indiculus occurrit.

LA COSMOGRAPHIE AISE'E, CONTENANT LA SPHERE, l'usage du Globe terrestre, & la Geographie &c. par Gilles de Launay.

i. c.

COSMOGRAPHIA FACILIS, SPHÆRICAM, USUM GLOBI terrestris, & Geographiam complexa.

Auctore Gu. Launayo. Parisiis 1681. in 12.

Libellus hic, in gratiam Nobilitatis, Cosmographiam compendio complexus, post communissima de Corporibus Cœlestibus, juxta Ptolemæi hypothesein, & Elementaribus, ad placita Aristotelis, præmissa; Sphæræ artificialis circulos, ut & Globi terrestris usum, per vulgo hic tradi solita, explicat. In Geographia Terrarum continentium, Marium &c. partes generatim recensuisse contentus; soli Europæ specialius describendæ, sed strictim, operam (nisi quod suæ Genti præcipui quid Gallus indulsit) impendit.